

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii decimâ-nonâ, mensis Maii, anno Domini M. DCC. LI.

M. LUDOVICO-ALEXANDRO VIEILLARD,
Doctore Medico, Præside.

An menstrua purgatio in lactantibus noxia?

I.


UOD à parentibus sanis & vegetis ortum ducat homo, hoc summum Naturæ munus. Diù namque durat domus bonis nixa fundamentis : debilibus verò & caducis si fulciatur, citò nutat, citò corruit. At frustrà quis talibus gauderet rudimentis, quæ primâ in dies non roborarentur *diætâ*. Hujus autem pars optima

lac, præſertim muliebre; hinc ſummâ cautione opus in ſeligendis nutricibus, quibus lactandi credantur pueri. Quod quidem opus, ſoli & prudenti Medico fidendum, mulierculis plerumque, fatali neſcio quo abuſu, committitur. Non ſanè tutos à redargutione putavero parentes, qui, dùm ſciunt à primis vitæ diebus judicandam eſſe futuram valetudinem, in re gravis adeò momenti vel leviſſimè peccant. Quænam porrò dotes à lactantibus exigendæ? Quænam mulieres ab hoc implendo munere arcendæ? Infinitæ. Non tamen illas rejecero, in quibus, aliundè ſanis, redundat ſucci boni copia.

I I.

ETSI nocet omne nimium in corpore humano, tamen ubi nimium hoc abſque ullo machinæ diſpendio eliminari poteſt, jam non nocet. Sanguinem irrorat uberius ſerum, quàm ut poſſit debitâ quantitate, perſpiratione inſenſili avolare; largior urina ſecernitur, frequentiùs ſpuitur. *Boni habitus ad ſummum progreſſi ſtatim ſolvendi*, ait Hippocrates. Quid refert quonam modo ſolvantur? Homini valentiſſimo ſanguis modicus è naribus aut è venis hæmorroidalibus effluit ab epulis lautiſſimis. Quid indè mali patietur? In talibus natura, leni conatu, diſturbat ea quibus, etſi bonis, forsàn obrueretur, ſi diutiùs eadem pateretur in ſtatu, aut ſi vel leviſſimum caperent incrementum: quid ab arte prudentius expoſtulandum? Modo non abſimili res in lactantibus peraguntur: ubera plurimo lacte turgida non ſiccat tota puer; erumpunt menſtrua, quiſnam à lactando talem arcebit nutricem?

III.

EVANUIT jam à longo vetus illud præjudicium, quo humori menſtruo contagioſa quædam indoles aſſignabatur. Nemini non notum eſt ſanguinem ex utero ſtillantem, omninò ſimillimum eſſe cætero ſanguini; quod ſi talis excretio intempeſtivè ſuppreſſa aut retardata, diros adeò cieat tumultus, non certè ideò quòd aliquo *miaſmate* humores inficiat; ſed quòd notâ ſibi & familiari viâ expellere non potuerit natura, reſiduum ex nutritione, aliiſque ſecretionibus. Hinc opibus ſuis onerata fatiſcit. Porrò ſi talis ſit hæc excretio ut in ſtatu naturali abeſſe

non poſſit abſque maximo diſcrimine : quodnam poterit mali portendere, in quocumque ſtatu ſano ? Data mulier, dùm lactat, cibis ſolitò ſucculentioribus veſcitur, quidpiam de ſuo demit exercitio, paulò minùs tranſpiratione deperdit : alimenta ſic coquit, ut omnem omninò ſuccum alibilem ex illis extrahat : maximam lactis optimi copiam ſugenti propinat : totum puer non ebibit ; reſiduum ad communem fluidorum alveum revehitur, ſicque in dies auctior ſanguinis maſſa, tandèm aliquâ viâ erumpere geſtit : quânam tutiori, præter uterum, natura ſuperfluum exonerabit ? Multò quidèm magis & lactanti, & puero timendum cenſeremus, ſi, quod utero extruditur, aut mammis, aut alteri organo ſecernendum apponeretur. Quid plura ? Mulieres lactare docuit dura neceſſitas. Alio ſi poſſint paſci modo pueri, jam ceſſat tale miniſterium : poſſunt ergò mulieres à lactando abſtinere. Menſtruam verò, ipſa ſibi paravit natura purgationem, quâ carere non poteſt abſque imminenti ſuo diſcrimine. Ergone, quod ſibi in tutiſſimum juvamen elegit tam bona parens, aliquandò noxium poterit experiri ?

IV.

A primo vitæ exordio repetenda hominis valetudo. Sit ergò *nutrix* nata ſalubriter. Ipſa bonam ſuxerit *nutricem* : puerorum morbos aut eluſerit, aut alacriùs paſſa ſit. Toto infantiæ decurſu ætatis ſuæ ludos amaverit, iiſdem abundè indulſerit. Laudabilibus interim uſa ſit alimentis. Menſes ipſi non magno molimine eruperint : ab ipſa eruptione, ordine conſtantiſſimo recurrerit hæc purgatio. Mens ipſi fuerit hilaris : quæ ſunt amara & moleſta ſenſerit, ſed leviter. Venereos amplexus fugerit, uſque dùm corpus totum adeptum ſit incrementum. Tertio aut quarto menſe à primis amplexibus conceperit. Geſtationis tempore concubitum, *neque nimis pertimuerit, neque nimis concupiverit.* Ingrata fugerit, jucunda modeſtè guſtaverit. Otium vitaverit, debito indulſerit exercitio. Sex primis à partu hebdomadis ſatiaverit ſe victu tenui & potu diluenti : craſſioribus poſteà alimentis interdùm nutrita ſit. His ſi addantur ſtatura mediocris ; corpus nec obeſum nec gracilius, cutis alba, igne pauco ſcintillantes oculi, dentes albiſſimi, mammæ neque depreſſæ, neque turgidiores, in habitu & ornatu elegans concinnitas ; certè qui tenet hanc, tenet & *nutricem* ipſis Principibus lactandis aptiſſimam.

Sic natæ mulieri, quo tempore lactat, menses superveniant; quisnam Medicorum ejusmodi excretionem perniciosam judicaverit? Nullus sanè: nec erit qui hanc succi boni exuperantiæ deberi diffiteatur.

V.

MULTO lacte tumentibus mammarum glandulis, vasa perenni compressione coarctata, minùs liberè sanguis permeat: hinc ad alia derivetur necesse est. Tale autem est inter mammarum & uteri vasa consortium, ut his *plethoricis* altera turgescant, depletis verò flaccescant, & vice versâ: hinc in plerisque lactantibus, ex parietibus uteri perpetuum humoris serosi stillicidium. Ejusmodi jacturam non norunt, quæ dùm lactant, menstruam purgationem experiuntur. In his videlicet uteri vasa multò solidiora, difficiliùs hiant quàm rumpuntur. Hæ excretionem naturæ legibus consonam patiuntur, aliæ morbum. Quicquid obganniat ignara plebs, caveant Medici, ne tales à lactando mulieres arceant, nisi hancce excretionem à quodam morbo oriundam esse, maturo ipsis pateat examine. Porrò si in lactantibus nihil habeat in se mali menstrua purgatio; si nihil afferat mutationis in corpore, quis non concluderet?

Ergò menstrua purgatio in lactantibus non noxia.

Proponebat Parisiis CAROLUS GILLOT, Barroducæus Tullensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.